

Novum *Summarium* de Patronatu S. Thomæ litteras sequentes includit vel indicat :

- 11 litt. Cardinalium cum multis subscriptionibus. V. g. 58 subscriptiones inveniuntur in unâ epistolarum.
- 45 litt. Patriarcharum et Archiepiscoporum.
- 65 litt. Episcoporum.
- 9 litt. Abbatum regularium, Superiorum generalium.
- 14 litt. Capitulum, Collegiorum, Associationum.
- 11 litt. Universitatum.
- 30 litt. Seminariorum.

186 litt. Multæ omittuntur in *Summario*.

In adhæsione episcopi Mazarensis in Sicilia legimus :

« Votre Sainteté pouvait-elle nous indiquer un meilleur *Maître* de philosophie chrétienne que S. Thomas, qui fut si hautement loué par 25 papes, employé pour la défense de la foi par 6 conciles œcuméniques, suivi par plus de 15 ordres réguliers, redouté par les hérétiques qui le tinrent pour l'unique soutien de l'Église catholique? Qui eût mieux que lui christianisé la philosophie, et dans les 891 leçons des commentaires sur les livres d'Aristote, et dans les 2931 articles des 578 questions sur le Maître des Sentences, et dans les 463 chapitres des 4 livres de la Somme contre les Gentils, et surtout dans la merveilleuse Somme que le concile de Trente plaça sur l'autel à côté de la Sainte Écriture, et dans les 2657 articles des 512 questions qui la composent, et que le pape Jean XXII admirait comme autant de miracles? »

(V. *Analecta juris Pont.*, 19^e sér. 1880, p. 418, 419.)

SS. D. N. LEONIS PP. XIII

LITTERÆ

Ad Eminentissimum ac Reverendissimum Dominum Antoninum Episcopum Prænestinum, S. R. E. Card. de Luca, Sacro Concilio Studiis Regundis Præfectum.

Venerabili Fratri Nostro ANTONINO Episcopo Prænestino, S. R. E. Cardinali DE LUCA, Sacro Concilio Studiis Regundis Præfecto, LEO PP. XIII,

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictio-
nem.

Jampridem considerando experiendoque intelleximus, terrimum quod adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem modo geritur bellum, citius feliciusque, opitulante Deo, componi non posse, quam rectis sciendi agendique principiis per philosophicas disciplinas ubilibet restitutis; ideoque ad summam totius causæ pertinere sanam solidamque ubique locorum refflorescere philosophiam. Litteras ideoque Encyclicas ad universos catholici orbis Antistites nuper dedimus, quibus pluribus ostendimus, hujus generis utilitatem non esse alibi quærendam, quam in philosophia christiana a priscis Ecclesiæ Patribus procreata et educta, quæ fidei catholice non modo maxime convenit, sed etiam defensionis et luminis utilia adjumenta præbet. Eam ipsam, decursu ætatum magnis fecundam fructibus, a S. Thoma Aquinate, summo Scholasticorum Magistro, quasi hæreditario jure acceptam commemoravimus; in eaque ordinanda, illustranda et augenda mentis illius vim virtutemque sic enituisse, ut cognominis sui mensuram Angelicus Doctor cumulate implere videatur. Majorem autem in modum Episcopos hortati sumus ut, collatis Nobiscum viribus, excitare aggrediantur motam gradu et prope collapsam philosophiam illam veterem, Scholisque catholicis redonatam, in sede honoris pristini collocare.

Nec mediocrem animi lætitiã ex eo percepimus, quod Litteræ illæ nostræ, divina ope favente, pronum ubique obsequium et singularem animorum assensum nactæ sunt. Cujus rei testimonium Nobis luculentum impertiunt plures Episcoporum ad Nos ex Italia præsertim, ex Gallia, Hispania, Hibernia, perlata epistolæ, sive singulares, sive plurium ejusdem provinciæ vel gentis communes, egregia animi sensa præferentes. Nec doctorum hominum suffragium defuit, ultro et reverenter datum, cum insignes eruditorum Academiæ eundem plane ac Sacrorum Antistites, animum Nobis scripto declaraverint. — In his autem litteris placet maxime obsequium auctoritati Nostræ et huic Apostolicæ Sedi præstitum; placent mens et judicia ab auctoribus prolata. Una est enim omnium vox, una sententiã, notari et tuto designari Litteris illis Nostris, quo tandem loco sit præsentium malorum radix, et unde petenda remedia. Omnes consentiunt humanam rationem, si a divina fidei auctoritate discesserit, dubitationum fluctibus et præsentissimis errorum periculis esse propositam; hæc autem pericula facile evasuram, si ad catholicam philosophiam homines perfugerint.

Quamobrem, Venerabilis Frater Noster, illud Nobis est magnopere in optatis, ut S. Thomæ doctrinæ, fidei veritati apprime conformis, cum in omnibus catholicis Athenæis quamprimum reviviscat, tum maxime in hac Urbe principe catholici nominis; quæ ob eam causam, quod est sedes Pontificis Maximi, debet optimarum doctrinarum laude cæteris antecellere. — Huc accedit quod Romam, catholicæ unitatis centrum, soleant adolescentes ex omni terrarum loco frequentes celebrare, nullibi, quam penes augustam B. Petri cathedram, germanam incorruptamque sapientiam satius hausturi. Itaque si philosophiæ christianæ, quam diximus, largiter hinc copia defluerit, non unius Urbis finibus conclusa tenebitur, sed ad omnes populos, velut abundantissimi amnis, manabit.

Sic igitur primo loco curavimus, ut in Seminario Romano, in Lyceo Gregoriano, in Urbaniano aliisque Collegiis, Nostræ adhuc auctoritati obnoxii, philosophicæ disciplinæ secundum

mentem et principia Doctoris Angelici, enucleate, dilucide, copiose tradantur atque excolantur. Et maxime in hoc omnem vigilare curam et contentionem doctorum volumus, ut quas ipsi doctrinæ opes ex voluminibus sancti Thomæ diligenter collegerint, easdem explicando, dilatando, suaviter et fructuose auditoribus impertiant.

Sed præterea quo magis hæc studia vigeant et floeant, curandum est, ut amatores philosophiæ Scholasticæ in ejus gratiam sedulo, quod possunt, enitentur; maxime autem in societates coeant, cœtusque identidem habeant, in quibus studiorum suorum fructus singuli in medium adducant, et in communem afferant utilitatem.

Hæc autem judicia mentemque Nostram Tecum communicare volumus, Venerabilis Frater Noster, qui sacro Concilio præes studiis disciplinarum regundis, certa spe freti, nec industriam, nec prudentiam Tuam hac in re Nobis defuturam. — Te profecto non latet doctorum hominum cœtus sive Academiæ, nobilissimas veluti palæstras fuisse, in quibus viri ingenio peracri et doctrina præstantes, cum se ipsi utiliter exercerent de maximis rebus scribentes ac disputantes, tum adolescentes erudirent, magno cum scientiarum incremento. Ex hoc optimo more institutoque jungendi vires et intelligentiæ lumina conferendi, extiterunt illustria Doctorum collegia, alia pluribus simul disciplinis addicta, alia singularibus. Vivax fama et gloria eorum permansit, quæ Romanis Pontificibus non uno nomine faventibus, ubique floruerunt, ut in hac Italia nostra, Bononiæ, Patavii, Salerni et alibi alia. — Cum igitur tanta fuerit laus et utilitas in voluntariis hisce hominum cœtibus ad excolendas perpoliendasque disciplinas coeuntium, cumque ejus utilitatis et laudis plurimum adhuc supersit, certum Nobis est eodem uti præsidio, quo consilia Nostra plenius perficiamus. — Scilicet auctores sumus, ut cœtus Academicus in urbe Roma instituat, qui S. Thomæ Aquinatis nomine et patronatu insignis, eo studia industriamque convertat, ut ejus opera explanat, illustret; placita exponat et cum aliorum philosophorum sive veterum, sive recentium placitis conferat; vim sententiarum earumque

rationes demonstret; salutarem doctrinam propagare, et ad grassantium errorum refutationem recensque inventorum illustrationem adhibere contendat. — Idcirco Tibi, Venerabilis Frater Noster, cujus perspecta habemus ornamenta doctrinæ, celeritatem ingenii, studiumque rerum omnium quæ ad humanitatem pertinent, id negotii damus, ut propositum Nostrum exequaris. Interim rem altius consideres; cumque rationem excogitaveris quæ consiliis Nostris opportune respondeat, litteris expressam Nobis inspiciendam subjicies ut probemus et auctoritate Nostra muniamus.

Demum quo latius spargatur ac disseminetur Angelici Doctoris sapientia, constituimus omnia ejus opera de integro in lucem edere, exemplo S. Pii V Decessoris Nostri, rerum gestarum gloria et vitæ sanctitate præclari; cui quidem in ea re tam felix contigit exitus, ut Thomæ exemplaria, jussu illius evulgata, permagni sint apud viros doctos, summoque studio requirantur. Verum quanto plus editio illa est rara, tanto magis alia desiderari cœpta, quæ nobilitate ac præstantia cum Piana comparari possit. Cæteræ enim cum veteres tum recentiores, partim quod non omnia S. Thomæ scripta exhibeant, partim quod optimorum ejus interpretum atque explanatorum careant commentariis, partim quod minus diligenter adornatæ sint, non omne tulisse punctum videntur. Certa autem spes est, hujusmodi necessitati consultum iri per novam editionem quæ cuncta omnino sancti Doctoris scripta complectatur, omnino quoad fieri poterit, formis litterarum expressa, accurateque emendata; iis etiam adhibitis codicum manu scriptorum subsidiis, quæ ætate hac nostra in lucem et usum prolata sunt. Coniunctim vero edendas curabimus clarissimorum ejus interpretum, ut Thomæ de Vio Cardinalis Cajetani et Ferrariensis, lucubrationes, per quas, tamquam per uberes rivulos, tanti viri doctrina decurrit. — Observantur quidem animo rei gerendæ cum magnitudo, tum difficultas, nec tamen deterrent quominus ad eam magna cum alacritate quamprimum aggredimur. Confidimus enim in re tam gravi, quæ ad commune Ecclesiæ bonum magnopere pertinet, adfore Nobis divinam opem et concursu Episcopo-

rum studium, et prudentiam atque industriam Tuam, spectatam jam et diu cognitam.

Interim præcipuæ dilectionis testem, Apostolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater Noster, ex intimo cordis affectu impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 15 octobris an. 1879, Pontificatus Nostri anno secundo.

LEO PP. XIII

